

motivo aliquo potiori jure, quam alii actus, qui cum posteriores sint, et alios priores supponant, habent in illis a quibus moveri possit voluntas. Hæc causa est inquirendi circa hunc actum motiva voluntatis.

SUMMA LITTERÆ.

Sex articulos facit D. Thomas, tres primos circa movens intrinsecum: tres alios circa extrinsecum. Intrinsecum est intellectus proponens, appetitus invitans, voluntas se impellens: extrinsecum est corpus cœleste, et Deus. Non numerat seorsum ab istis objectum movens, vel causam moralem persuadentem, consiliantem, etc. quia hæc omnia pertinent ad intellectum proponentem, si quidem in media intellectus propositione movent.

In articulo primo inquit D. Thomas, an voluntas moveatur ab intellectu. Respondet intellectum movere, id est, determinare, et reducere voluntatem ad actum motione specificationis, quia præsentat ei objectum, quod est principium specificans; non motione exercitii, quæ est motio ex parte subjecti, quasi factiva, et impulsiva.

In articulo secundo inquit, an moveatur voluntas ab appetitu sensitivo: respondetur moveri, ea motione, quæ tenet se ex parte objecti, eo quod ex appetitu sensitivo, et passione objectum apparet conveniens homini sic affecto, et disposito: quanto autem objectum convenientius apparet, vehementius movet.

In articulo tertio inquit, an voluntas moveat se ipsam: respondetur movere se ipsam motione quoad exercitium, quia ad ipsam pertinet amor finis. Quæ autem agunt propter finem, gratia seu amore finis operantur, et sic ex fine voluto agens efficit; ergo et voluntas ex fine voluto se ipsam impellit ad media; sicut intellectus ex principiis intellectis ad conclusionem.

In articulo quarto inquit, an voluntas moveatur a principio exteriori: respondetur moveri. Est enim duplex principium influens in voluntatem, scilicet objectum medio intellectu proponente, quod est movens specificative: et instinctus, seu inspiratio, aut impulsus interior ad volendum. Primo modo reducitur motus voluntatis in principium exterius, scilicet in objectum, quod extra est, et allicit. Secundo modo reduci debet motus voluntatis in aliquod principium extrinsecum inspirans, et impellens, quia licet voluntas possit se ipsam de uno actu impellere, et instigare in alium, ut de intentione finis ad electionem medii: in primo tamen actu non potest sic impellere, et instigare se. Indiget ergo extrinseco movente, aut non operabitur tunc ut mota, sed ut pure movens, cum tamen in primo actu magis indigeat moveri, quia magis est in potentia.

In articulo quinto inquit, an moveatur voluntas a corpore cœlesti: respondetur a cœlo ut ab objecto moveri posse sicut a quocumque appetibili, aut pulchro. Ut a motore instigante, et impellente intrinsecus, non posse, quia cœlum est agens corporeum, voluntas immaterialis, et libera. Indirecte tamen potest cœlum movere, alterando corpus, et appetitum sensibilem, qui subornat voluntatem.

In articulo sexto inquit, an moveatur voluntas a Deo sicut ab exteriori principio: respondetur moveri, quia Deus est causa voluntatis, quam creat cum anima, unde sicut in natura, qui eam causat, motum naturalem causat (sicut motum lapidis generans ejus) ita qui causat voluntatem, motum ejus voluntarium causare potest, etiam effective. Objective autem causat Deus eundem motum voluntatis, quia est universale bonum, et objecta, quæ sunt particularia bona, ex ipso habent unde alliciant, et objective moveant.

QUÆSTIO X.

DE MODO QUO MOVEATUR VOLUNTAS.

Modus movendi voluntatem attenditur penes naturaliter, vel libere. Et in quatuor articulis discurret, an moveatur necessario voluntas, et a quo.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo inquit, an moveatur voluntas naturaliter, seu necessario ad aliquid: respondetur moveri, quia licet voluntas ut est domina sui actus, et libera, non operetur naturaliter, seu ut natura, id est, determinate, et necessario, tamen principium unde primo voluntas movetur oportet esse naturaliter, et determinate volitum, quia est per se, et determinate bonum, ut bonum in communi, sine qua formali ratione boni nihil potest appeti.

In secundo articulo inquit, an voluntas a suo objecto de necessitate moveatur: respondetur non moveri ab objecto de necessitate quoad exercitium, quia de quocumque bono potest avertere cogitationem, et non velle (scilicet extra Deum clare visum) quoad specificationem autem movetur de necessitate a bono perfecto, quale est beatitudo, et ultimus finis, et ea sine quibus talis finis haberi non potest, ut esse, vivere, et similia. Bona autem particularia, et non plene perfecta non movent de necessitate quoad specificationem.

In articulo tertio inquit, an voluntas moveatur de necessario ab appetitu inferiori: respondetur quod si passio non totaliter ligat iudicium rationis, et libertatem tollit, non movetur de necessitate voluntas a tali appetitu, licet inclinetur ab illo, nec enim est objectum totaliter implens voluntatem. Si autem passio tollit iudicium liberum, et transit in insaniam, non manet motus voluntarius, et sic movetur voluntas necessario, destructo iudicio indifferenti.

In articulo quarto inquit, an voluntas moveatur de necessitate a Deo: respondetur non necessitari ab eo secundum quod active movet voluntatem, quia movet tamquam causa propria voluntatis, et omnium motuum quis. Unde motio Dei est secundum naturam voluntatis, non contra eam, et sic cum ejus motus sit contingens et liber, hoc ipsum causat Deus in ea, non destruit.

DISPUTATIO V.

DE OBJECTO VOLUNTATIS, ET MOTIVO
EJUS.

ARTICULUS I.

*An possit voluntas ferri in malum
sub ratione mali?*

I. Proponimus in titulo non solum, an possit voluntas ferri in malum, sed etiam sub ratione mali: quia de formali ratione tendendi est difficultas, non de solo objecto materiali. Quod enim in se, et materialiter malum est, vestiri potest apparentia boni, et sic amari, ut quæcumque peccata. An vero etiam non vestitum bono amari possit, ita quod sub ea ratione formali, qua repræsentatur ut malum motu prosecutivo appetatur, difficultas præsens est. Ex hoc autem dependet cognoscere, an formalis ratio sub qua voluntas fertur in objecta sua sit bonum; an etiam possit esse malum, et ita formalis ratio adæquata, etiam ad appetendum prosecutive, abstrahat a bono, et malo. Sicut enim in omnibus potentiis, et habitibus datur formalis ratio tendendi in objecta sua, quæ quidem ex parte objecti est illa ratio motiva sub qua omnia objecta vestiuntur, ut moveant potentiam, sicut omnia objecta visus movent potentiam sub ratione lucidi; ex parte vero potentiæ est ipsa virtus, et ratio qua potest elicere actus tales; sic etiam oportet in voluntate assignare aliquam rationem motivam universalem, et adæquatam ipsi potentiæ sub qua omnia objecta appetibilia conveniant, et de hac inquirimus, an sit formalis ratio boni;

an vero ratio aliqua abstrahens a bono, et malo respectu actus prosecutivi. Nam respectu actus fugæ, et nolitionis non est dubium, quod sit malum sub ratione mali, sicut etiam intellectu falsum attingitur per dissensum, verum per assensum, quando cognoscitur ut tale. Respectu ergo actus prosecutivi, qui est velle, inquirimus de ratione formali adæquata, an sit bonum sub ratione boni, si ex parte objecti consideretur. Nam ex parte potentiæ ipsa vis appetitiva, ut proportionata objecto appetibili, est ratio qua tendit in objectum, id est, qua elicit actus attingentes objectum appetibile.

II. Non desunt auctores, præsertim ex Nominalibus, qui tenent voluntatem posse ferri in malum sub ratione mali, et ita adæquatam ejus rationem non esse bonum, sed indifferens ad bonum et malum, quia non semper est bonum sed aliquando malum. Ita refertur pro hac parte Ocham in tertio, distinctione XIII, ad tertium dubium; Joannes Major in II, distinctione XXVIII, quæstione I, et in IV, distinctione XLVI, quæstione VII, et Almainus in tractatu III moral. cap. IV, aliisque Nominales. At vero Scotus in I, distinctione I, quæstione IV, dixit non esse sufficienter probatum, quod voluntas non possit odio habere bonum, et velle malum, aliisque in locis id videtur relinquere indecisum, ut in II, distinctione VI, quæstione II, et distinctione XLIII, sed tamen in IV, distinctione XLIX, manifeste docet necessitari voluntatem nostram ad amandam beatitudinem in communi, et odio habendam infelicitatem, seu miseriam. Quod si sic necessitatur, manifestum est non posse stare oppositum, staret autem, si sub ratione mali posset.

III. Nihilominus sententia D. Tho-

mæ in hac quæstione VIII, articulo III, tam certa est, quam communis; nempe voluntatem ita adæquate pro ratione formali respicere bonum actu prosecutivo, quod nullo modo possit ferri in aliquid sub ratione mali, sicut nec fugere aliquid nisi quod malum est sub ratione mali. Imo ex hoc fit evidens iudicium, quod objectum ejus solum est bonum, quia nulla potentia fugit, et recedit nisi ab eo, quod sibi contrarium, et repugnans est, et consequenter quod non est ejus objectum, quomodo enim potest objectum esse quod contrarium, et repugnans est sibi? Sicut falsum non est objectum intellectus, sed verum, quia falsum solum dissentit, et recedit ab eo. Et tenebræ non sunt objectum visus, quia recedit ab eis. Sic ergo intellecta conclusio communis est inter philosophos, et theologos. Philosophi illam desumunt ex Aristotele, theologi ex Dionysio, et patribus communiter. Nam Aristoteles in primo ethicorum, capitulo primo, tamquam fundamentum totius moralis scientiæ posuit illud principium: Bonum est quod omnia appetunt. Quod etiam ab antiquis dictum esse testatur. Unde videtur hæc veritas emanasse ab antiquissimis sapientibus, et philosophis. S. Dionysius id aperte tradit in libro de divinis nominibus, capite IV, quem citat D. Thomas in hac quæstione VIII, articulo I, in argumento Sed contra, dum dicit: « Omnia bonum et optimum concupiscunt, et malum est præter voluntatem. » Et Augustinus in XIII de Trinitate, capite III, in fine cum assereret omnes nos velle beatitudinem: « Quidquid aliud, inquit, quisque latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus nota est, non recedit. » Omitto auctores referre, qui hanc sententiam sequuntur, quia valde communis est, et passim ab aliis

commentatoribus D. Thomæ citantur.

IV. Ratio autem pro illa recte traditur a D. Thoma loco citato, id est, hac quæstione VIII, articulo I, et talis est: Appetitus est quædam inclinatio appetentis in aliquid: est autem essentialis ratio inclinationis ut prosequatur, et accedat ad id, quod est sibi conveniens, et discedat ab eo, quod est disconveniens, et repugnans, quia quod est conveniens, et aptum ipsi rei allicit et trahit inclinationem; quod autem est disconveniens repugnat, et dissonat ipsi; ergo illud quod est conveniens est objectum inclinationis, quod vero est disconveniens est objectum recessus, et fugæ; sed id quod est conveniens ipsi appetitui, et appetenti est bonum, quia in quantum conveniens est perficiens, nec enim quod est imperfectio, et defectus est conveniens, neque bonum, quia imperfectum prout tale, tollit aliquid debitum, aut plenum; ergo facit defectum; ubi enim aliquid non est in sua perfectione sibi debita, deest aliquid debitum sibi (si enim non deest perfectum esset) ergo talis imperfectio defectum habet, seu privationem debiti. Defectus autem, et privatio alicujus debiti, non potest esse conveniens, neque ut tale appeti, quia oppositum ejus conveniens est, scilicet, id quod est debitum, et perfectum, est autem privatum tali defectu, et privatione; ergo si id quod est conveniens est perfectum, et oppositum defectus, id quod est conveniens est bonum, quia perfectum, et ita si objectum inclinationis appetitus est ei conveniens, objectum illius debet esse bonum.

V. Et confirmatur, quia nulli est dubium, quod id quod est bonum, seu perfectum appeti potest, ut constat ipsa experientia, quia appetimus id quod perficit, et satiat appe-

titum, non defectum ejus, id est, non appetimus quod nobis deficiat: sed malum est id quod opponitur bono, et dicit defectum illius, quod in bono est perfectum; ergo si bonum appetitur, implicat quod oppositum ejus, quod est malum, et destructivum talis boni appetatur, alioquin appeterentur duo contradictoria, dareturque inclinatio naturalis ad illa. Quod si appetitur, necesse est, quod induat aliquam rationem boni, seu respectum ad illud, non si in ratione destructivi consideretur.

VI. Nec dici potest, quod objectum formale inclinationis, et appetitus non est bonum, seu conveniens, sed ens ut commune bono et malo, non quidem ens sub ratione veri, sed nec etiam sub ratione boni determinate, sed sub quadam ratione communi bono et malo. Unde etiam D. Thomas infra quæst. XIX, articulo primo, dicit: «Quod bonum, et malum per se ad voluntatem pertinent; ergo æque utrumque est objectum voluntatis.»

VII. Nam contra est, quia ista ratio communis abstrahens a bono et malo, abstrahit a duobus oppositis, quorum unum destruit aliud, bonum enim per malum destruitur, quia includit defectum, et privationem boni: bonum autem in quantum tale constat esse appetibile (hoc enim nullus negat, et si enim aliqui concedant malum posse appeti, tamen bono nullus negat, quod appeti possit, quia bonum est quod omnia appetunt) ergo oppositum illius, scilicet malum, qua tale, et in quantum destructivum ejus est, non potest appeti, sed appetitui debet opponi, quia destruit rationem ipsam per se appetibilem, scilicet, bonum secundum se. Sicut, si in visu coloratum est per se visibile, non potest privatio coloris, quæ destruit ipsam colorati rationem, etiam pertinere

ad visum, quia destruit rationem per se visibilem. Similiter ergo si malum solum destrueret aliquam particularem rationem boni, adhuc posset appeti, quia maneret alia ratio boni particularis, sub qua posset appeti; sicut unum bonum particulare alteri bono particulari opponi potest per contrarietatem, et unus color alteri colori, ut album nigro; et similiter malum morale, ut positive contrarium bono morali aliquid boni, et finis involvit, saltem fundamentaliter. Cæterum malum absolute sumptum, ut est privatio boni, et defectus illius, et romoto omni respectu, et habitudine boni, qua induatur, et formalizetur, si sic appetitur, necessario appetitur sub ratione destructiva, et privativa boni absolute; ergo appetitur sub ratione destructiva appetibilitatis, quod omnino implicat. Quod si trahatur ad rationem aliquam positivam boni, vel vestiatur aliquo respectu ad illud, jam non sub ratione mali appetitur, sed sub apparentia boni. Et hoc modo quis negare potest appeti quotidie mala? Ad locum autem D. Thomas ex quæstione XIX, dicimus quod vel loquitur de malo morali, quod est quoddam bonum, et non de malo absolute, vel si intelligitur de malo absolute, est sensus, quod per se pertinet ad voluntatem, non per se positive, sed privative, et ratione sui oppositi: sicut cæcitas per se pertinet ad oculum, quia in alio extra oculum non potest reperiri.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Primo arguitur illo vulgari argumento deducto ex odio inimicitiae. Etenim in odio inimicitiae, quo volumus malum inimico, volumus illi malum sub ratione mali formaliter; ergo conclusio est falsa. Ante-

cedens probatur, tum quia odium inimicitiae in hoc distinguitur ab odio abominationis, quod hoc est fuga alicujus mali mihi displicentis, et ita opponitur amori concupiscentiae, distinguitur autem ab ira, quia hæc appetit malum alterius sub ratione vindictæ, et satisfactionis, odium autem inimicitiae vult alteri malum, quia malum illi est, ut docet S. Thomas quæstione XII de malo, articulo IV, et 2-2, quæstione CLVIII, articulo IV. Ergo odium inimicitiae non fugit malum, sed vult illud in quantum est malum alteri, et sic sub ratione mali illud vult, quia per hoc distinguitur ab odio abominationis, et ab ira. Tum etiam, quia odium inimicitiae opponitur directe amori amicitiae; amor autem amicitiae vult bonum amico, quia est bonum illi, non quia est bonum mihi; sic enim esset concupiscentiae; ergo odium inimicitiae, ut perfecte et simpliciter amicitiae opponatur, debet ferri in inimicum volendo illi malum sub ea ratione, qua malum illi est, non quia bonum mihi; hoc enim concupiscentiae est, et non opponitur directe, et formaliter amicitiae. Ergo tendit in malum sub ratione formali mali.

IX. Respondetur distinguendo antecedens; odium inimicitiae vult malum alteri, sub ratione mali, distinguo; sub ratione mali effectus in altero concedo; sub ratione mali objecti, seu mali absolute, nego. Hoc est: volo aliquid quod sit malum, id est, nocivum, seu destructivum alterius, ut videlicet effectus malos in illo faciat, sed tamen illud quod est malum illius, et nocivum ac destructivum ejus, induit rationem apparentis boni, etiam pro ea parte qua destructivum est, quia destruere meum contrarium, speciem et apparentiam habet boni, et sic supposito quod sum male affectus illi homini, et tamquam contrarium

meum reputo, destructio, et documentum illius apparentiam boni habet respectu mei, etiam prout malum alteri infert, et repræsentatur mihi ut bonum, et sub illa apparentia, et repræsentatione appetitur; sicut e converso bonum alterius ut crescens, mihi invidenti apparet malum. Et sic recte notavit Cajetanus infra quæst. XLVI, articulo VI, quod voluntas non potest velle malum sub ratione mali absolute, vel in quantum est malum mihi: bene tamen potest velle malum alteri apprehenso ut contrario, quia malum alteri ut contrario, induit rationem boni, hoc ipso quod tamquam destructivum contrarii apprehenditur. Et sic nunquam appetitur sub ratione mali formaliter, sed sub ratione boni, et ita quando volo malum inimico ut malum illi, volo illud sub ratione boni mei nocentis inimico, seu destruentis meum contrarium. Et destruere contrarium est bonum.

X. Ad primam probationem respondetur, quod odium inimicitiae distinguitur ab odio abominationis, quod odium inimicitiae vult malum alteri sub ratione boni mei, quod inducit malum effectum in altero, est autem bonum objectum, seu appetibile mihi. Odium autem abominationis non vult nocivum alteri, nec objectum aliquod quod alteri inferat malum effectum, sed solum surgit, et repellit a se id quod est nocivum sibi, et quod malum effectum infert sibi. Et hic opposito modo procedunt, videlicet unum prosequendo malum effectum in altero, aliud fugiendo malum effectum in se. Differt autem ab ira, quia hæc non respicit malum, ut præcise est nocivum, et destructivum contrarii, sed ut vindicativum, et satisfactivum, et sic habet speciem justitiae, seu satisfactivi. Unde sumpta satisfactione, ita cessat; odium vero nulla